

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Tribulatio b  
cum fonte primo

In fornace ardet palea et purgatur  
aurum; illa in cinerem  
uertitur et illud sordibus exuitur.  
Fornax mundus, palea iniqui, aurum  
iusti, ignis tribulatio, artifex Deus.  
Quod uult ergo artifex, facio; ubi me  
ponit aurifex, tolero.  
Iubeor ergo tolerare, nouit ille purgare.  
Ardeat licet palea ad incendendum me  
et quasi consumendum me;  
illa quasi in cinerem uertitur, ego  
sordibus careo.

Augustinus super Psalmum LX.

Fornax ista; ibi palea, ibi aurum, ibi  
ignis, ad hanc fiat aurifex;  
in fornace ardet palea, et purgatur  
aurum; illa in cinerem  
uertitur, a sordibus illud exuitur.  
Fornax mundus, palea iniqui, aurum  
iusti, ignis tribulatio, aurifex Deus;  
quod uult ergo aurifex, facio; ubi me  
ponit artifex, tolero;  
iubeor ergo tolerare, nouit ille purgare.  
Ardeat licet palea ad incendendum me,  
et quasi consumendum me;  
illa in cinerem uertitur, ego  
sordibus careo.

Augustinus Hipponensis, *Enarrationes  
in Psalmos*, 61, 11 (CCSL 39, E.  
Dekkers & J. Fraipont eds., p.782, ll.25-  
33).